7

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
MEDICINA RATIONALI VERA,
ET DE
USU EJUS IN PRAXI MEDICA.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. FRANCISCI VAN OUDENDORP,
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ PROFESSORIS.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè,
ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubjicit

GULIELMUS THOMSON,
SCOTO BRITANNUS.

Ad diem 19. *Martii* 1751. *bora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GERARDUM POTVLIET, 1751.

OPTIMO ET ORNATISSIMO

VIRO,

DANIELI CUNYNGHAM,

VITÆ INTEGRITATE

ET

VIRTUTIS AMORE

SPECTATISSIMO,

PATRONO SUO MUNIFICENTISSIMO;

QUALECUNQUE MONIMENTUM

ANIMI HAUD INGRATI.

Hanc Diſſertationem
Sacram facit
GULIELMUS THOMSON.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MEDICINA RATIONALI VERA,

ET DE

USU EJUS IN PRAXI MEDICA.

Quænam ſit vera medicina rationalis, *aut quinam in praxi medica ejus uſus*, quæſtiones mihi videntur indagine omnîno eſſe dignæ.

De poſteriore quidem in animo fuit præcipue aliquid proponere, ſed hoc niſi priore rite intellecta, clare fieri haud potuit; de qua igitur prius dicendum eſt.

Id quoque magis neceſſe habeo, quia magnas, inter medicos hodiernos, diſſenſiones, hac ſuper re, intercedere video,

nec inter eos convenire, qui ſint medici rationales, aut quibus modis, ab illis qui uſu & experimentis ſolis nituntur, diſtingui poſſint; dogmata vero multa quæ his æque ac illis pertinent, prioribus ſolis tribuuntur.

Unde hoc fit, dicere eſt in promptu: Omnes *medicorum rationalium* appellationem amant, eamque ſibi vindicant, verba nimirum ſola reſpicientes; nemo enim eſt, quin ſe artem medicam, methodo rationi maxime congruente, exercere putet: ſi omnibus igitur auſcultandum, confuſio oriri debet, & diſtinctio videretur eſſe nulla; quam tamen revera exiſtere, etiam apud eos, qui ita inter ſe certant, in confeſſo eſt, nomen enim a ſeipſis aſſumptum ad alios pertinere negant.

Ad quæſtionem hanc enucleandam igitur, ab iis nil ſperare licet, ſed aliâ viâ incedendum, quâ melius & clarius quid medicis omnibus commune, quid vero rationalibus ſit proprium, pateat; ſic enim quis ſit verus medicus rationalis optime conſtabit, nec non, qualis eum inter & alios differentia intercedit.

Neque hunc in finem planior alia aut magis directa videtur, quam quæ ad quæſtionis ortum ducit, &, qua occaſione diſtinctio talis in medicinam introducta fuit, commonſtrat; ea autem a medicinæ hiſtoriâ, & rei ipſius naturâ rite perpensâ, eſt petenda; iſtæ enim nos docent, quales fuere primi medici, aut quales fieri potuiſſent, & deinde, quânam ex ratione diſſenſio interveniebat, novaque ſecta originem duxit.

Ex medicinæ hiſtoria diſci poteſt, medicos ab initio nil aliud præ ſe tuliſſe, quam ægros obſervare, quæque iis utilia, quæve noxia viſa ſunt, notare; experimenta deinde ita inſtituta in aliorum uſum transferre. Dum hi ſoli fuere medici, nec ſecta alia extabat, titulus nullus, diſtinguendi gtatiâ, iis neceſſarius fuit: Poſtea vero, ſectis frequentioribus ortis, &,

ex

ex novis multis Doctrinis adoptatis, titulis ſeſe diſtinguentibus, hi quoque *Empirici* nuncupabantur, experientia & uſu nimirum nitentes; longe quidem alio ſenſu ac hodie uſurpatur, nomine hoc gaudebant, nunc enim temporis, omnibus fere eſt contemptui, inter eos vero honorabile, & a multis petitum.

Tempore quidem multo, medicorum munere perfungi iis ſolis fuit proprium. Sed Philoſophi deinde cognitionem hanc ſibi vindicaverunt, & multas ratiocinationes, nec non doctrinas quasdam ſuas ei immiſcuerunt; quoniam vero hi nil niſi ſcientiam & artis contemplationem appetebant, nec de praxi ejus multum cogitaſſe videntur, ingenia ſua ſic exercere, & figmenta proponere, nemini quippe nocitura, impune potuiſſent, & experimenta negligere, eorumque uſum contemnere, iis tuto licuiſſet: ad praxin vero inventa ſua applicaturi, experientiæ & obſervatûs uſum & neceſſitatem, confiteri, nec non quantum fuit utilitatis in Empiricorum doctrina, agnoſcere, ſtatim coacti fuerunt.

Quum vero novis iſtis Philoſophorum doctrinis medici imbuebantur, optimeque eas callebant, & aliquis etiam in illis uſus eſſe videbatur, omnes non rejecerunt, ſed quasdam neceſſarias habentes, & ſine quibus medicus nemo evadere peritus potuit, eas retinuerunt, cumque Empiricorum doctrinis adjunxerunt; & inde *Medicorum rationalium* nomen ſibi aſſumſerunt, ars vero ita ab illis mutata, ſub titulo *medicinæ rationalis* pervulgata fuit; a ratiocinatione ſc. doctrinis antiquioribus ſuperadditâ, originem ducens. Nec alia ſimulant medici hodierni qui caſtra eorum ſequuntur, ſed eadem omnia profitentur, eâdemque methodo procedunt: Empiricorum doctrina baſis eſt utrisque, ſuper quam ſyſtemata ſua conſtruenda ſunt; nec has inter ſtructuras alia intercedit differentia, quam quæ a diverſis inventis, variisque ratiocinationibus oriri poſſit; & ad

ad has inſtituendas, hodiernis majora quam antiquis auxilia adeſſe videntur.

Quænam pro vera medicina rationali accepta fuerit inter veteres æque ac hodiernos, igitur expoſituro, omne tuliſſe punctum mihi viſus fuero, ſi, quodcunque ab uſu & experimentis ſolis in medicina cognitum fuit, aut cognoſci potuiſſe videtur, deinde ſi, quod ab iis, qui hisce auxiliis minime contenti fuerunt, ut nomen medicorum rationalium mereantur, ſuperadditum fuit, explicuero; hâc methodo quippe enucleaturus, quid ſectæ utrique commune, quid vero poſteriori ſit proprium.

Ex *obſervatu* igitur patet ſanitas læſa; & hæc vel ex ægrorum querelis, vel ex vultu, toto corpore, & actionibus mutatis ab iis, quæ in homine ſano adſunt videndæ.

Idem quoque morborum exitus docet, & quibus modis illi evenire videntur, an victûs ope vel medicamenti, ſeu caſu ſeu appetitu ſpontaneo oblati & aſſumpti, ſanitas ſit reſtituta, an ex horum alicujus uſu incrementum acceperit morbus, vel morte ſit finitus. His probe perſpectis, medicus multa de victu & remediis exhibendis diſcere poteſt.

Prognoſin hinc agere licet; ſi certæ enim conditiones fere ſemper eundem caſum tuliſſe obſervantur, iisdem ſupervenientibus, alium nec expectare nec prædicere licet.

Hæc rite obſervata & notata, Empiricus deinde ad alios ægros transferre applicareque poteſt, & in morbis generis ejusdem, quæcunque antea prodeſſe viderit, præcipit, ab iis vero, quæ noxia eſſe obſervaverit, abſtinere jubet. Nec aliter pergit in morbis ignotis, ſimilitudinem enim aliquam quærit cum antea viſis, & eâ inveſtigatâ, eodem modo ac in morbis cognitis curationem aggreditur.

Omnibus vero non eadem omnia conveniunt, uti enim ſexu, ætate,

ætate, temperamentis, aliisve modis homines inter ſe diſſe-runt, ita remedia variare oportet; nec homine in eodem remedium idem ſimiles ſemper effectus producit, ſed diverſis temporibus, diverſa fiunt neceſſaria. Hæc omnia ab obſervatu ſolo ſunt diſcenda, & ea probe noſſe, medici multum intereſt.

Ex his denique experimentis ſimul confertis & inter ſe comparatis, regulas quasdam Empiricus ſibi contexit, quæ, ex ſymptomatum & circumſtantiarum noviſſime recenſitarum ſimilitudine, ſanandi methodum, remediaque morbis convenientia indicant.

Objiciat forſan aliquis, hanc omnino ratiocinationem eſſe, ex analogia ductam; eſto; qui hoc neget nullus ſum, de rerum nominibus minime ſollicitus; quid tum inde, nonne ergo eſt omni medico commune ita ratiocinari, an vero ſectæ rationali ſoli proprium? Hoc non colligere licet; niſi hac enim facultate conceſſa, nullum omnino foret artis medicæ exercitium; multis tamen ſæculis ante ortum ſectæ rationalis medicos extitiſſe in confeſſo eſt, minime ergo ſic ratiocinari ſectæ huic eſt proprium, ſed omnibus commune, nec diſtinctio ulla inde eſt petenda. Obſervandum eſt inſuper, quod olim in diſceptationibus eorum, id nunquam ſibi vindicabant medici rationales.

Obſervationi quoque ſubeunt cauſæ morborum quædam evidentes & occaſionales, quæ aliquem certe uſum in ſanatione prebent; ſcire enim prodeſt, an frigus vel calor, fames vel ſatietas initium morbo dedit. Quoniam vero hæc medicorum ſecta de morborum cauſis non valde ſollicita fuiſſe videtur, eas hic loci leviter attegiſſe ſufficiat.

Ne omnia nimis ſollicite indagare videar, in univerſum dici poteſt, quamcunque viam natura monſtrat in ſanitate

conſervanda vel reſtituenda, in eam experimenta deducere: *Naturam ſequi ducem*, ſummorum medicorum, omni in ævo fuit præceptum, cui obſervantia optime eſt præſtanda per accuratam ad ejus actiones attentionem, modos nempe quibus ad ſanitatem ægros perducit; inde enim, ex motibus ejus nimis validis viribusve debilitatis quantum ſit periculi, apparet, nec priores moderandi aut poſteriores excitandi methodus latet, naturâ ipsâ nimirum monſtrante viam, & quæ conveniunt dictitante. Hoc modo certe incrementa magna medicina accepit, nec ad alium tribuendus eſt perfectionis iſte gradus, admirandus ſane, quem obſervatûs ſolius ope aſſecuta eſt.

Hæc & plura forte alia, experientia & uſus docere poſſunt, &, ſi medicinæ hiſtoriæ fides ſit præſtanda, docuerunt certe; hæc omnia intelligere, & huc usque artem provehere potuit Empiricus. Si alii vero nomen aliud ſibi quærebant, aliud quoque munus iis uſurpandum fuit; & ita reverà factum eſt. Secta rationalis hactenus propoſitis haud contenta, plura contendebat eſſe neceſſaria; quæ nunc proponenda & explicanda ſunt, uti non ſolum quæ ambobus communia, ſed & quæ huic ſectæ ſunt propria, videamus.

Medico igitur neceſſariam eſſe, homines iſti contendebant, partium corpus humanum conſtituentium cognitionem, ſive ſint ſolidæ ſive fluidæ, aut quocunque ſub nomine notæ. Hæc a Chemicis hodie eſt petenda.

Quæcunque dein Anatomia docet iis videbantur quærenda; hinc qui, partium obſervandarum conſilio in uſus medicos, corpora ſecabant, fuere primi; quod munus exinde, ſectæ huic quaſi dicatum reſpiciebatur, ab aliis ſpretum & etiam cum indignatione repudiatum: ſic vero partium ſitus & nexus patebant, qualem quoque ſpeciem ſanæ, & qualem læſæ præ ſe ferebant.

His

His ita perſpectis, de obſervatuum ſuorum uſu ratiocinari cæperunt: Partium quarundam finis prima fronte apparet, & ex ipſo intuitu, ſi aliquid vero altioris indaginis extat, a ſimilitudine & analogia id petendum eſt. Hinc oritur Oeconomiæ (uti vocatur) animalis notitia.

Ex hac deinde probe intellecta, corporis humani actionum, cujuscunque ſint generis, deducenda eſt ratio, & non ſolum partium quarum ope, ſed & modorum aliquando quibus peraguntur, perceptio: Unde ſanitatis Idea, dum omnes hæ actiones rite ac legitime abſolvuntur.

Hæc omnia introduxit ſecta rationalis, ex obſervatione quidem multa, plura vero ex ratiocinatione: Quo autem fine? Eo nempe, ut ex iis natura & cauſæ morborum eruantur, cauſæ ſc. non evidentes ſolum ſed & intimæ, prædiſponentes æque ac occaſionales, remotæ ac proximæ; & hæ certe niſi ex ſupra dictis haud explorari poſſint, eorum vero ope, cognitu faciles evadunt; ex actionibus enim ſanis rite perſpectis, circa eaſdem læſas ratiocinari non difficile videtur, ſed ex actionibus læſis natura & cauſa morbi conſtant. Cui Hepatis uſus & ſtructura ſunt notæ, ei perfacile erit explicare, quomodo Icterus ab ejus obſtructione oritur.

Unde demum liquet, quænam ſit vera medicina rationalis, & quænam eam inter & Empiricen differentia. Hujus ſectatores uſum & experientiam ad omnia ſufficere contendebant, nec ulterius quærebant; illius vero cultores, iis haud contenti, morborum naturæ & cauſarum notitiam inſuper eſſe neceſſariam aſſerebant, aut harum ſine ope ſanationem inſtitui recte poſſe, negabant; experimenta quidem non rejiciebant, ſed iis ad cauſas tantum inveſtigandas utebantur, unde curandi methodum inſtituere & actiones læſas ad ſtatum priſtinum reſtituere potuiſſent. Sic E. G. in pleuritide, qui lateris dolo-

rem, reſpirationem difficilem, febrim ſupervenientem, aliave ſymptomata, nec non cauſam occaſionalem, frigus fortaſſe ingruens, obſervat, & hæc omnia tollere nititur medicamentorum antea in morbo ſimili probatorum ope, Empiricum agit; rationalis vero medicus, iisdem ſymptomatibus obſervatis, ex iis colligit, in pleura vel muſculis intercoſtalibus obſtructionem adeſſe, ex multis forte cauſis diverſis ortam, nimirum ex ſanguinis quantitate nimia, vel qualitate ejus inflammatoriâ ſeu nimis ſpiſſeſcente, ex fibrarum quoque nimiâ rigiditate, & ex earum ſimul ac vaſorum contractione ſubitâ; ex his vero omnibus intellectis denique cernit, ſanguinis copiam eſſe minuendam & qualitatem mutandam; hinc non ſolum venæſectionem largam eſſe inſtituendam, ſed etiam refrigerantia, diluentia, emollientia & laxantia adhibenda, uti morbus nou tantùm in præſentia reſolvatur, ſed & in poſterum præcaveatur.

Abſolviſſe ita quod prius fuit propoſitum videri poſſim. Nunc vero ſupereſt, qualem utilitatem Rationalium iſta doctrina in praxi medica ſuppeditat, examinare.

In anteceſſu rejiciendum puto, quod ſæpe hic pro argumento uſurpatur; „ Eum nempe, qui ſanitatis naturam non intelligit, nec de ea læſa judicare, nec ad eam perducere „ ægrotantem poſſe; neque aliquem debere morbi curatio„ nem in ſe recipere, qui naturam ejus ignorat. " Si, hoc verum & pro axiomate eſſe habendum, primo conſpectu conſtaret, lis amplius nulla foret, ſed medicinæ rationalis neceſſitas ubicunque & ſemper eſſet agnoſcenda, hæc autem eſt quæſtio ipſa, & ibi hæret aqua, nec merâ affirmatione, ſed ſolidis argumentis pro eâ allatis, res eſt dirimenda.

Nec magis arrident argumenta a priori (uti dicitur) deſumpta, & a quibusdam hic in uſum vocata: „ Quem enim

„ in

„ in finem, „ dicunt, „ cognitionem corporis humani pul-
„ cherrimam nobis eſſe conceſſam, niſi ut exinde morborum
„ cauſas eruamus? Alioquin enim inutilis eſſet, quod credere
„ omnino nefas eſt: præterea, ajunt, quicunque naturam
„ cognoſcere vult aut eam ſequi, rationis ejus agendi non
„ debet eſſe ignarus; cæterum ea nec temere nec fortuito
„ agit, ſed ex cauſis quibusdam poſitis, effectus eosdem &
„ certos producit, & quoniam cauſas iſtas cognoſcendi facul-
„ tas conceditur medicis, qui eas non quærit, nec viâ rectâ
„ incedit, nec culpâ caret." De priore hujus argumenti parte idem forte, ac de multis aliis ſcientiis & artibus pulcherrimis, dici poſſit, eas nempe hominibus eſſe conceſſas, ad delectandum magis quam ut iis proſint; de poſteriore vero, quod jam, de methodo qua medicus naturam ſequi debet, dixi, ſufficere poſſit. Quoniam igitur ex his, argumentum noſtrum, nec multam vim accipere, nec auxiliis talibus egere videtur, ad alia me conferam.

Videamus igitur an revera commodi aliquid, ex methodo noviſſime propoſitâ, medico accreſcit.

Principium ſit ab eo, quod ex ratiocinandi peritiâ aut Philoſophiâ in univerſum ſit ſperandum. Verba Celſi ad hanc rem ſunt appoſita; " Multa ſunt (ait ille) ad ipſas artes
„ proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant, excitando
„ artificis ingenium." Deinde ſententiam ſuam ad medicinam quoque applicat " Itaque naturæ rerum contemplatio,
„ quamvis non facit medicum, aptiorem tamen medicinæ
„ reddit." Nec negandum eſt, quod, animos quicunque habent Philoſophiâ & ratiocinandi arte imbutos, ii in veritate indaganda ſanius & accuratius procedant; ad obſervationes inſtituendas quoque aliis paratiores accedant, & omnibus hac ope inveſtigatis, ea quippe melius intelligentes, ad ſcientiam

ulterius promovendam utantur; multæ quoque doctrinæ ab iis eruuntur, quæ ſi non directé arti proſunt, viam vero parant ad perfectionem ejus.

Ex cauſis quoque intellectis, Ideæ multo dilucidiores evadunt, & obſcura iſta confuſio quæ, his ignotis, omnia obumbrat, exinde evaneſcit; Phænomena multa alioquin inexplicabilia, clara fiunt & difficultate carentia; omnia quoque melius & facilius exponi poſſunt. Phyſici ſint hujus veritatis teſtes, inter quos & medicus rationalis locum tenet; quam faciliime & eleganter omnia explicant, ſi cauſas eorum intelligunt aut rationem quâ perficiuntur, & quantâ cum voluptate eos audire poſſimus; ſi experimenta autem ſola, cauſis incognitis, colligunt & in medium afferunt, quanquam his videndis quoque gaudium ineſt, inexpectata quippe & miranda ſæpe exhibentibus, moleſti tamen aliquid, & anxietas quædam in animo hæret, nunquam tollenda, niſi ratione, qua omnia hæc procedunt, erutâ: Summopere quidem laudandi qui experimenta multa inſtituunt; quam vero ob cauſam? Non tantùm quia animos nobis, ſpectaculis iſtis jucundis delectant, ſed quia horum ope, naturam rei attingere & Phænomenωn cauſas explicare ſperamus; hâc enim ſpe fulta, mens humana ad omnia tentanda eſt parata, nullosque labores refugit, hac vero ſublatâ, ſocors fit & ignava, atque in deſperationem quaſi acta, de arte promovendâ omnem curam abjicit. Ex his liquidò patet, cauſarum cognitionem ad artes provehendas egregium uſum præbere; nec minus in medicinâ quam in aliis hoc fit; ſi dein exercitium artis reſpicitur, eo certe facilius feliciusque peragitur, quo ars ipſa ad perfectionem deducitur majorem.

Cauſarum inſuper cognitioni debemus magna ex parte, quod medicina faciem artis gerit, quodque doceri & diſci poſſit

tanta

tanta cum facilitate. Omni arti hoc commune eſt & quaſi ſolenni, ut ex multis experimentis collectis, ad cauſas & naturam rerum aſcendant, (ſi modo hoc omnino fieri poteſt) principia quædam generalia conſtituant, & ex his deinde ſingularia explicent; qui ergo generalia hæc ad pauciora redigit capita, dummodo ex his ſingularia quæcunque exponi poſſint, artem perfectiorem atque faciliorem reddit. Sic vero in medicina factum eſt; primo aſpectu, nil præbuit niſi experimentorum & obſervatuum congeriem magnam, rudem indigeſtamque molem, quam memoriæ nemo committere potuit, aut inde extrahere quod ſibi in praxi foret uſui: regulas quasdam generales ex iis fabricare potuit merus etiam obſervator, ſed quoniam iſte ex ſymptomatibus ſolis collectis regulas ſuas conſtituit, & hæc tam varia ſunt hominibus in diverſis, ut quam pauciſſimi morbi eadem ſub ſpecie comprehendi videantur, hinc principia eorum generaliora numero erant fere infinita, & multum adhuc memoriâ fuit opus, confuſionis adhuc erat multum; usque dum ratiocinatio manum adhibuit, & in ordinem omnia redegit, naturam enim & cauſas rerum explicuit, ex quibus notis, actiones inde pendentes intellectu fiunt facillimæ; & quoniam ex causâ cognitâ ſymptomata morborum omnia, quantumvis varia, quoque cognoſcuntur, & ſub uno capite reduci poſſunt, conſtat, quod morbi ipſi poſſint redigi in tot claſſes, quot ſint eorum cauſæ, vel functiones quot læſæ, quæ ab unoquoque, in corporis humani ſtructurâ rite inſtructo, facilè diſcuntur, & in memoriâ retinentur; vel potius, quoniam nexus, cauſam inter & effectus, iis evidens eſt & notus, poſterioribus viſis, ad priorem facilè aſcendunt, ac deinde omnia phænomena explicant, ratiocinationem ita loco memoriæ ſubſtituentes.

Quicunque Phyſicum audit diſſerentem E. G. de Electricitate,

tate, ubi nihil niſi eventa aliquot certis ſub conditionibus prodeuntia apparent; deinde ſuper vires mechanicas, ubi ex principiis quibusdam generalibus omnia quam pulchre fluunt, facile intelligat diſtinctionem hic commemoratam, & methodi propoſitæ excellentiam.

Sed nec in medicinâ exempla deſunt; Ex Hepatis obſtructione quot & quanta mala oriuntur; quæ omnia ſi aliquis ſine ordine memoriæ vult committere, haud ſine difficultate fecerit, nec poſtea facile ea retinebit; qui vero, ex natura & actione viſceris cognitis, omnia ſymptomata explicare poteſt, ei longe felicius res vertet. Nec latet, quanto facilius ars uti huc proponitur, quam aliter poſſit diſci, aut quanto citius peritiâ ejus potiri liceat.

Quam vero utilitatem hæc omnia praxi medicæ præbent? Haud parvam certe nec contemnendam; ita enim auxilia quæcunque natura vel ars adhibere poſſint, magis ſunt in promptu, & in uſum facilius revocentur: Præterea in *arte longâ & vitâ brevi*, methodus maxime concinna ſemper eſt quærenda, & via breviſſima aliis præferenda, quâ obſervatus & inventa aliorum diſcere, & labores eorum in noſtros uſus convertere poſſimus; ita medicus adhuc juvenis ægros accedit jam peritus, & omne deinde tempus expendere poſſit, vel ad veterum præcepta ex proprio uſu ulterius confirmanda, vel nova addenda. Hinc arti emolumentum ſummum & ægris ſalus.

Hucusque de commodis iſtis, quæ in univerſum medicis competunt, a cauſis morborum cognitis, tractaſſe videar; ſed ut melius pateſcat, qualem utilitatem inde trahit etiam in ipsâ morborum curatione, medicum hiſce ritè inſtructum ad agrotantium lectos deducamus, & ibi, quid eum ars ſua juvet, videamus.

Multum inde auxilium & præſidium ſibi adeſſe videntur in ſympto-

ſymptomatum multitudine & varietate; qui cauſas enim morbi intelligit, ſymptomatum quoque inde naſcentium originem & naturam explicare poteſt, ita ab omni confuſione & animi perturbatione liber manet. Symptomata morborum, quanquam ab eadem cauſâ provenientia, adeo in variis hominibus, vel eodem in homine variis temporibus, a ſe invicem differunt, ut magna de curandi methodo fit dubitatio, nec obſervatus ſolus certi aliquid ea de re inveſtigare poteſt, id vero, quodcunque ſit, a cauſâ ſolâ cognitâ petendum. An cauſa morbi igitur alio modo, quam obſervatûs ope, eruitur? Non videtur: An obſervatus ergo alius ad cauſam morbi indicandam ſufficit, alius vero ad curationem dirigendam neceſſarius? Veroſimile eſt; ab uno enim ſymptomate obſervato, cauſa ſæpe morbi patet, ex eâ vero cognitâ cætera omnia, quantumvis varia, explicari poſſint: Eodem hoc ſymptomate ab Empirico obſervato, nil fere boni inde capit, quoniam nexus, hoc inter & alia, eum latet, & ſymptomata ſingula totidem fere morbos diverſos referunt, diversâ ſæpe medelâ egentes; unde incertitudo omnino, & animi vacillatio in curâ proponendâ.

Res forte magis ab exemplo patebit: Ex nervo aliquo læſo, quanta ſymptomata horrenda & inſueta naſcuntur, quam diverſa & inter ſe ſæpe contraria viſa, corporis quoque partes varias aggredientia, a ſe invicem multum diſtantes, nec minimam inter ſe connexionem ſimulantes; horum omnium cauſa, fronte primâ, forte non apparet, ex anamneſticis vero ſuſpicio ejus aliqua oritur, quæ deinde confirmationem accipit, quando, ex partium nexu & nervorum curſu obſervatis, omnia ſymptomata explicatu facilia evadunt; causâ ita perſcrutatâ, inde medendi methodus luceſcit, ut radix ſc. mali evellatur, & ita procumbent rami inde pullulantes; hæc eſt

medici rationalis methodus, & ſpem optimam gignit: Empiricus vero antecedentia omnia quanquam in memoriam revocare poſſit, nullo ſunt illi uſui, quia nexum, ea inter & præſentia non intelligit, & an hæc reverâ ab illis naſcuntur, ignarus eſt, ſymptoma igitur ſingulum, morbum quaſi diſtinctum tractare debet, conſilio certe ſiniſtro, quoniam contraria ſæpe & noxia ſic adhibentur, vel æger ſaltem, ambagibus longis & remediis multis inutilibus, vexatur, nec a morbo liberatur.

Reſponſum hinc facile petere poſſimus objectioni iſti a multis uſurpatæ, quod ſc. cauſæ inveſtigatio minimè ſit neceſſaria, quoniam eadem ſymptomata, quæ ad illam explorandam inſerviunt, ad curationis ipſius methodum indicandam quoque ſufficiunt: Rem enim aliter ſeſe habere vidimus. In Paralyſi multarum corporis partium, ſymptomata, calefacientium, excitantium, & corroborantium uſum poſtulant, repugnantium forte omnium iis, quæ ad cauſam tollendam neceſſaria ſunt, contractionem nimirum fibrarum, unde nervi alicujus compreſſio, quæ omnium ſymptomatum vera poſſit eſſe cauſa. Hinc quoque patet, regulam iſtam generalem praxeos Empiricorum, *rationem ſc. præcipuam ſemper eſſe habendam eorum ſymptomatum, quæ auxilio maxime egere videntur*, aliquando poſſe negligi; in citatis exemplis multa ſunt ſymptomata terribilia, quæ opem citiſſimam poſcere videntur, quæ verò in curatione præ aliis ſunt negligenda, quia ab his ſublatis, illis quoque ſubſidium expectandum.

Ad propoſitum vero ut redeamus; causâ morborum incognitâ, ii non niſi caſu omnino ſunt eradicandi; qui neſcit morbi originem, neſcit quoque qualem indicationem eſſe ſequendam, ut eum e fundo divellat, & curam ſolummodo imperfectam adhibere poteſt: A fibris laxis nimis vel rigidis, quot morbi gignuntur, nunquam ſanandi, niſi fibræ ad ſtatum ſuum

pro-

proprium & naturalem reſtituantur. In Hydropis curatione, Hepar certe reſpiciendum; quum ab eo læſo morbus iſte ſæpe originem ducit; hoc vero facere, medici rationalis eſt munus, nec Empirico omnino convenit. An igitur iſtarum cultores ſectarum diverſas ſemper indicationes in curando ſequuntur? Hoc affirmare non licet; quodcunque enim de morborum cauſis, aut de remediis ad eas tollendas præceptis, ope ratiocinationis inveſtigatum, & quod ab initio inventori ſuo proprium fuit, jam notum & pervulgatum eſt; & ab experimentis quoniam probatum & confirmatum, iis quaſi nitens ſpectatur, nec a prole eorum omnino diſtinguitur; ſi originem vero earum reſpiciamus, facile patebit, indicationes tales ac ſunt eæ de quibus hic agitur, non niſi a medicis rationalibus inveſtigari potuiſſe, ante tempus enim eorum, de cauſis morborum fere nemo cogitavit. Hinc quoque fit, quod medici etiam rationales, qui longo tempore in praxi verſati ſunt, quanquam ab initio, cauſas morborum fere ſemper inveſtigare conabantur, poſtea vero, & morborum ſpecies & eorum curationes adeo perſpicuæ illis fiunt, ex diuturno uſu & experientiâ, ut his omnino fere nitentes, methodum priorem negligunt, & adeo fiunt obliviofi commodorum inde ſibi acquiſitorum, ut de eâ quaſi inutili audiuntur ſæpe loqui; ſi aliquid vero inſoliti aut non antea viſi illis occcurrit & ubi experientia iis non prodeſt, ad eam demum recurrunt, errorem confitentes re ſaltem, ſi verbis nunquam. Tyronibus vero ab eâ raro aut nunquam deflectere conceſſum eſſe videtur.

Haud raro in ſanatione morbi, aliquid improviſi ſupervenit, quod ab uſu præeunte intelligi non poteſt; ſymptoma fortaſſe vel omnino novum, vel modo inſolito prorumpens. Qui nil niſi experimentorum notitiam habet, prodeſſe hic ali-

quid ſperare non audet; verum ille qui morbi ipſius naturam & cauſas intelligit, ſi modo ſymptoma iſtud ab iis pendeat, pronunciare poteſt, id vel nil mali portendere, vel ſi aliquid, alio melius curationem adhibet.

Eadem fere dicenda de morbo omnino novo & ignoto, ubi uſus & experientia nullum ferre poſſunt auxilium, nec curandi methodum proponere, niſi aliqua forte ſit ſimilitudo morbum hunc inter & alium prius cognitum, unde remedia quæ antea profuiſſe videntur, nunc quoque in uſum trahantur. Methodum vero hanc eſſe maxime fallacem conſtabit, ſi, quot morbi diverſi iisdem, aut ſimilibus ſymptomatibus ſtipantur, & ab iisdem remediis in diverſis iſtis morbis exhibitis, quanta naſcuntur mala, animadvertitur: Symptomata haud longe ſunt diſſimilia in morbis inteſtinorum, ab aëre in cavitatibus eorum incluſo & ſeſe expandente, ortis, vel ab inflammatione in eorum tunicis; ſi remedia vero quæ priori optime conveniunt, ad morbum quoque poſteriorem debellandum exhiberentur, quot & quanta mala metuenda!

An in morbis ignotis igitur medicus rationalis, ſuâ methodo aliquid prodeſſe poſſit? Videtur certe; obſervatuum enim ope, partes læſas dignoſcit, ex nexu earum cum aliis, & deinde cum toto corpore, ſedem mali rimari, & cauſam ejus fortaſſe diſtinguere poſſit, unde curationis indicatio pateſcit. De his vero jam dictum.

Nec ſilentio puto prætereundum, boni quantum, in malis externis tractandis, ex fabricâ corporis humani rite inveſtigatâ & cognitâ, introductum fuiſſe; probatu hoc non difficile foret ex rei ipſius naturâ, ſed argumentis multis haud opus eſt; quicunque operationes chirurgicas, uti apud veteres inſtitutæ fuerunt, & quantum mutatas ab illis eſſe hodiernas, reſpicere vult, hoc eſſe verum lubenter agnoſcet; ſi his enim crudele

alis

aliquid ineſſe adhuc videatur; cum prioribus tamen comparatæ, tutò, citò, & jucundè fieri dicantur.

Reſtat ut aliquid, de medicinæ rationalis uſu, in facultatibus medicamentorum decernendis, & in iis exhibendis, proferam. Hic non inficias ibimus quod medicinæ hiſtoria docet, nempe medicamenta, ab uſu & experientiâ fere omnia fuiſſe introducta, nec quibus modis hoc factum fuit, dicere nunc neceſſe habeo, hos quoniam a fonte eodem haurire licet; utcunque fuit, cum periculo certe & exitu multorum, homines tandem didicerunt, quænam ſint utilia aut noxia quænam; at omnia non adhuc didicerunt, ſed multa reſtant aut invenienda, aut uſus jam inventorum ulterius perſcrutandi; medici igitur incitari debent, ad aliam viam, quam per experimenta ſola in corpore humano, tentandam, quâ vires & uſus medicamentorum indicare poſſint; talem vero medicina rationalis probe commonſtrat; ex viribus namque eorum in corporibus aliis exhibitis, effectum qualem in corpore humano eſſe expectandum, judicare licet: Cortex Peruvianus a corporibus aliis putredinem arcet, in corpore humano eundem effectum eum præſtiturum eſſe, ſperare poſſimus; nec eventus ſpem fallit, uti multis experimentis pulchrè conſtat.

An omni vero medico ita judicium ferre convenit? Nequaquam; ſed iſti ſoli, qui morbi & materiæ morboſæ naturam intelligit, nec non quibus modis ea corrigi vel eliminari debet: noxium forte aliquid in ventriculo hæret, id ſurſum expellere medicus velit, hoc fieri, ventriculi tunicas convellendo & ad contractionem deducendo novit, nec non Tartarum emeticum, ſeu Ipecacuanhæ radicem hunc effectum præſtare, unum vel alterum igitur exhibet, & voti fit compos.

Hiſce vero opponi poteſt, quod corporis humani qualitates, & leges, ſecundum quas functiones ejus perficiuntur, ab iis

quæ corporibus aliis ſunt propriæ, adeo diſcrepant, uti ſi in his aliquid evenire ſpectamus, idem in altero futurum eſſe ſpondere non audemus; ad experientiam igitur omnia ſunt referenda, nec, niſi eâ comprobatum, aliquid claſſi medicamentorum ſit adſcribendum. Objectioni huic ita occurrere liceat; diſcrepantiam, corpus humanum inter & alia, non tantam eſſe, uti in nullis circumſtantiis convenirent, vel ut omnis eorum comparatio ſemper foret inutilis; preterea ne credas hic poſtulari, ut aliquid remedii nomen mereri putetur, niſi, plurimis experimentis, utilitas ejus fuerit probata; cæterùm, ut tali probationi permittatur, non quod caſu vel fortuito ſeſe offert, ſed id, de cujus ſucceſſu optime ſperare poſſimus, ex periculo nimirum in aliis corporibus jam facto.

Medicus rationalis denique ſolus eſt, qui remedia, ſalutifera in alio morbo viſa, ad alium universè transferre poſſit; hoc namque, ex ſymptomatum ſimilitudine, haud tutò fieri poſſe, jam demonſtrare conatus ſum; ſymptomata enim ſunt ſæpius inter ſe quam ſimilia, dum morborum cauſæ longe differunt; ſi cauſas vero & naturam morbi aliquis intelligat, non fallitur, ſed recte vidit, an idem ſucceſſus ab eodem remedio ſit ſperandus: Qui emeticum in omni Nauſea adhiberi vellet, in peſſimos errores aliquando incidere debet, quoniam ab inflammatione ventriculi, æque ac a ſordibus ibi hærentibus, ſymptoma iſtud oriri poteſt.

Finem hic poſituro, in mentem mihi occurrebant objectiones quædem populares, quæque in ore ſunt omnibus, adverſus medicinæ rationalis utilitatem; quibus igitur, ſi fieri poſſit, reſponſum dare, a propoſito noſtro alienum ne videatur.

Prima igitur opponentium turba, ex Circulatoribus hodiernis & eorum fautoribus conſtat, qui Empirici quoque nuncupantur, ſed qui toto cælo diſtant a ſectâ eorum apud veteres, quæ ſupra de-

depicta eſt; homines nempe ſunt, qui remedia quædam ſpecifica & univerſalia jactitant, omni morbo æque convenientia, & quorum ope, ſe tantùm non miracula peracturos promittunt. Si a priori rem iſtam reſpiciamus, nihil abſurdius videtur, nec a veroſimilitudine magis abhorrens; quot partes enim in corpore, quot functiones lædi poſſunt, tot morbi extant, totque fere remedia, in eorum ſanatione, adhiberi debent. Ratiocinationem vero iſtud hominum genus nusquam agnoſcunt, cæterum ad experimentum, & ſucceſſum examinandum provocant, quem ſibi favere, magis quam aliis, gloriantur. Qua ſuper re, quæ ipſi dicunt, audiamus. " Ægros quosdam a ſe ſanatos „ fuiſſe jactant, qui ab aliis relicti, & quaſi conclamati reſpi„ ciebantur; auxilium eorum nunquam implorari ante omnia „ inutiliter ab aliis experta, queruntur, ita omnem fere oc„ caſionem, ægris ſalutem & ſibi famam parandi, e manibus „ eripi; quantum vero boni perficere poſſint, ſi antequam „ omnia ſic in pejus ruerent, arceſſiti fuiſſent, exinde appa„ ret, quod etiam in extremis multum ſæpe proſunt, mul„ tosque homines ab orci faucibus eripiunt, & ad vitam qua„ ſi novam reſurgere cogunt. " Ignari veritatis, atque infelices certe, qui ſua bona non norunt! De quâ re enim queruntur, eidem, nomen iſtud quo ſuperbiunt, & exiſtimationem omnem debent, nam utilitatis quodcunque remediis ſuis fortibus & penetrantibus ineſt, in eo conſiſtit, quod naturam, fere omnino deficientem, excitant ad novas vires exerendas, quibus curationes aliquando præter ſpem peraguntur; initio autem morbi, ſi aliquis opem eorum flagitaret, & eadem remedia (alia enim nec habent nec curant) propinarentur, dum natura viget, & forte nimiâ etiam violentiâ agit, quantæ turbæ, quot mala indomabilia timenda! Nec timor iſte vanus eſt, quoties enim aliquis, in morbi initio, opem ab

iis

iis petit, temeritatis fere ſemper pænas luit. Similem ob rationem, in morbis quibusdam chronicis aliquid prodeſſe videantur; ſed nec ideo in omnibus, quoniam multi quoque ex iis, medicamentis lenibus & victu nutriente tractandi ſunt. Utilitatem vero aliquam remediis iſtis Empiricorum hodiernorum ineſſe, haud inficiandum, & ſi prudenter uſurparentur, commoda forte haud contemnenda arti medicæ adferre potuiſſent; dum ii vero qui illa poſſident, omnia fortuitò agunt & ſine conſilio, nil mirum, ſi perniciofa multa, ab eorum uſu, generi humano oriuntur.

Eadem fere dicenda de iis, qui medicæ artis omnino ignari, morbos omnes curare velint, alimenti boni ope, & Cardiacorum (uti vocantur) vel vires reficientium; tales enim optimo gaudent ſucceſſu, dum pauperes inter & inopiâ languentes, medicos agunt; ex remediorum enim iſtorum uſu, vires ipſis refocillantur, & ſanitas redit; ad alios vero, temerè & ſiniſtro conſilio, talibus ægris rite convenientia, transferre volunt.

Medici rationalis nomen multis eſt contemptui, ex eo, quod aliqui, ſeſe ſectæ iſtius cultores ſimulantes, cauſis morborum quærendis omnino ſunt occupati, varias multas hypotheſes, nullâque experientiâ nitentes, ſibi fingunt, & eas reſpicientes ſolas, omnia præterea in praxi negligunt atque contemnunt, unde peſſima ſæpe mala, & errores turpiſſimi; dum medici enim delirant, & fictiones ſuas, pro veritate, propalant, miſeri plectuntur ægri. Si tales reverà ſunt, pro talibus hic minime pugnatur, uti ex dictis conſtat, eosque a ſocietate medicâ exulatos vellemus, qui nimirum multa damna, magnumque opprobrium arti optimæ attulerunt, & incrementum ejus maxime impediverunt.

De cauſis vero ipſis, quot opiniones! diſſenſio quanta inter

eos

eos qui cognitionem earum, baſin quaſi condere volunt, ſuper quam praxis medica ſtrui debet, & ſinguli, uti cauſæ diverſæ ſibi viſæ ſunt, methodum curandi diverſam inſtituunt; quænam igitur ſequenda, aut cui fides ſit præſtanda? Objectioni huic in genere occurrendum, quod, uti in aliis ſcientiis, ita in medicina quoque fit, infinitas ſc. de cauſis morborum diſceptationes, hominum opinionem, de notitiæ earum neceſſitate, evincere, nec non, eas perſcrutabiles eſſe creditas, oſtendere. Cauſas morborum reverà exiſtere nemo dubitat, nec eas inveſtigare impoſibile videtur, modo rectâ viâ procedimus, in earum indagatione; quænam vero iſta ſit, ex ſupra dictis, uti ſpero, liquet: qui experimentis rite obſervatis, corporis humani fabricæ cognitionem intimam ſuperaddit, apte paratus certe accedit, ad cauſas morborum rimandas, & ad curationis methodum exinde proponendam; divortium enim nullum, experientiam inter & ratiocinationem quærit, ſed connubium potius & conjunctionem firmiorem, ſic enim auxilium mutuum, & opem ſibi invicem ferunt; nec, ſi alio modo pergit, medicus reverà peritus evadet, vel artem reddet perfectiorem. Primordiis igitur totius artis in experimentis poſitis, ſi deinde ſcrupuli aliquid ſeu dubitatio de cauſis morborum oriatur, uti in omni arte fit, ad ea recurrendum eſt quaſi principia, quibus cæteræ partes nitentes, cum iis comparandæ, & ſecundum convenientiam ſeu diſcrepantiam cum iis, adoptandæ vel rejiciendæ ſunt.

Reſtat ut nodum adhuc unum expediamus; ſunt enim qui, medicos rationales nihil omnino artis ſuæ praxi profuiſſe contendunt, quia poſt eorum tot inventa, & ratiocinationes tam varias, de corporis humani ſtructurâ, & partium uſu, praxis medica nullum fere incrementum accepit, ſed qualis fuit Hippocratis temporibus, talis adhuc permanet. Quamvis hoc

verum eſſet, inde colligere non poſſimus, praxin medicam nunquam commodi aliquid a medicinâ rationali accepiſſe; ante Hippocratem enim multi de medicina ratiocinabantur, & nunc temporis neſcimus, quid doctrinæ illorum ope, quid vero obſervatu & experimentis ſolis, ille didicit & in libris edidit. Objectio hæc inſuper, non medicinam rationalem tantùm reſpicit, ſed ſi vera ſit, obſervatum quoque & experientiam inutiles eſſe probet; ſi enim praxis medica, ex Hippocratis tempore, nullum incrementum accepit, cui uſui inſerviunt omnia experimenta, ex eo tempore, inſtituta & collecta?

Opponentibus ita os occludere liceat; quoniam vero difficultatis aliquid reſtare adhuc videtur, nec primâ facie apparet cauſa, cur medica ars, a cultoribus ejus, tot ſeculis, tantillum promota fuerit, rem totam uti mihi videtur paucis verbis exponam.

Quænam fuerunt medicinæ primordia, tam rationalis quam ejus quæ experimentis nititur ſolis, ſupra exponitur. Genus utrumque Hippocrati fuit optime notum, qui ex amborum conjunctione, unicam methodum conflavit, quâ medica ars augeri poteſt, & quantâ cum utilitate hoc fecit, ex operibus ejus diſcendum. ſtudium vero partium, veri atque utilis amorem ſtatim ſuperabat, & medici eas ſejungebant rurſus, quæ unionem ſtrictiſſimam ſervare debent, alii pro experientiâ ſolâ, alii vero, eâ abjectâ, pro ratiocinationis uſu contendentes: Ars ita in pejus ruebat, nec mirum, dum ſola methodus, quâ promoveri potuit, contempta & neglecta jacebat. Multi quidem medici, ſummis ingeniis præditi, extiterunt poſt Hippocratem, animos vero unice attentos habebant, ad partes ſibi aſſumptas ſuſtentandas, aut opponentes debellandos, & pauciſſimi fuerunt, qui, de verâ medicinâ rationali, promo-

vendâ,

vendâ, cogitationem ſuſcipiebant. Ex eo tempore, quo literæ humaniores, ignorantiâ & ſuperſtitione Gentium barbararum, obrutæ fuerunt, futiles multæ & vanæ fictiones, ſub ſpecie eruditionis ſubtilis & acutæ, e ſermonibus & libris medicorum, omnem rationem ſaniorem expulerunt, & mentes eorum penitus occupaverunt: Nec, niſi longo poſt tempore, ad viam reducebantur unde erraverant, & multis cum difficultatibus obluctari cogebantur ii qui opus tantum primi ſuſcipiebant. Nunc demum temporis, ratiocinatio rurſus cum experimentis jungitur, & iis nititur; multi extiterunt medici magni & præclari, qui methodum hanc rationalem adoptaverunt; boni hinc multum expectandum, & aliquid jam elucet, nec contemnendum aut pro nihilo habendum; quod nempe, theoria ſana cauteque inſtituta, artem medicam, tot ſaculis, tenebris involutam, e novo illuſtravit, atque Doctrinas illas veterum, ſanas & naturæ convenientes, reduxit. Si tramite hoc recto incedere pergunt medici, majora procul dubio ſperanda, & artem, quantum fieri licet, ex omni parte perfectam, videbunt forte ſeri nepotes. Ne ſpes vero ultrà quam probabile eſt extendatur, multa enim adſunt impedimenta; methodus propoſita nec quorundam favet ignorantiæ, nec aliorum laudis ambitioni, ex hypotheſi aliquâ ingenioſè fictâ & fabricatâ; ſed labore & patientiâ opus; hinc non mirandum, ſi multos obtrectatores invenit, nec talibus carebit unquam. Præterea ſi omnes in eam promovendam conſentiant, menti tamen humanæ limites ponuntur, ultra quos excurrere non poſſit, & in arte medicâ fortaſſe, hi adhuc anguſtiores ſunt quam in aliis: Immortalitas nemini conceſſa eſt, mors vero inexorabilis & dira omnibus inſtat; Medici igitur munus omnino ad hoc redit, ut homines adjuvent, curriculum iſtud vitæ, quantillum ſit, ſuaviùs & jucundiùs peragere; ſed huic quoque ad-

verſantur luxuries & intemperantia, malorum iſtæ ſcaturigines, unde morbi fere immedicabiles multi fluunt, quibus curatio forte imperfecta adhiberi poſſit, abſoluta verò & perfecta adhuc incognita; quibusdam forte eorum, ſperandum eſt aliquid ex poſterorum induſtriâ, aliis verò nihil.

Ex dictis, ſpero, conſtat, quænam ſit vera medicina rationalis, nec non, eam aliquid, in praxi medicâ, utilitatis præſtare.